



Lit Rodriguez y Lovelo

ORATIO IN FUNERE

ILLMI. D. D. D. PETRI ESPINOSA ET DAVALOS

GUADALAXARENSIS DIOECESIOS

DIGNISSIMI QUONDAM PRIMI ARCHIPRAESULIS,

HABITA IN TEMPLO MAXIMO METROPOLEOS

VESPERASCENTE IV CALEND. MARTII

ANN. DOM. M DCCC. LXXVI.

A Doct. Michaeli Baz

Presbytero.

"Super custodiam meam stabo, et
"figam gradum supermunitionem: et
"contemplabor, ut videam quid dica-
"tur mihi, et quid respondeam ad ar-
"guentem me."

Habac. II. 1.

Optatum, etsi triste ac plorandum solamen! Tam-
dem aliquando Supremo Domino qui cuncta mo-
deratur et regit, dierum antiquo, in excelso solio
ab aeterno sedenti, cui solum datum tempora nosse
aut momenta in sua potestate posita, placitum qui-
dem fuit auxiliare ac propitium numen dare, ut
meritissimi D. D. Petri Loza nostratis Antistitis,
ut venerabilis hujus Metropoleos Capituli caetero-
rumque cleri, ut cunctorum qui in Guadalaxarensi
diocesi Christo nomen dedere ac cultum, vota non
irrita et inania manerent de justis debite persol-
vendis ei qui indefessa cura pro hac ovilis domini-
ci portione vigilavit; qui cum disrupta consolidaret,
cum infirma et debilia confirmaret, et depravata
converteret, domum Christi suffulsit; et pietatem
corroborans, atque haec agens in hisque immorans,
tanquam villicus a Domino fidelis deprehensus,
heu! procul a nobis supremum diem clausit, pridie
iduum Novembris anno millesimo octingentesimo
sexagesimo sexto.

Quid quod Tu, cui omnia vivunt, qui semper idem es, cuique anni indeficientes exstant, quid quod annorum labente serie lugendum, et amarum ac flebile, Te imperante, nobis misera sors hodierno die infessa obtulit? En quaeso, A. A., nos qui olim omnes ex praecordiis laetabundi e praelio impiorum ac de exilio revertenti obviam ire, videre ac salutare venerando Archipraesuli Petro Espinosa grato animo decrevimus, quem olim albescentes capite, graves viri, festivique pueri, matronae spectabiles, castaeque virgines; quem simul in unum dives et pauper, magistratus et cives, simplices fideles ac clerici corona cingentes ad almam istam basilicam prosequabamur gestiendo; nunc vero iidem nos, mutata veste, incassum dilectum Antistitem anxie quaerimus, tantumque datum has tristes exuvias moerore confecti huc asportare, ac lacrimis madefacti conspicerere.

Funeste mortis insigne, equo quanta sit rerum humanarum vicissitudo atque instabilitas, quam inanis et fluxa sit humana spes, quam stulte ac praepostere cogitationes ac desideria in labilibus et caducis collocentur terrigenas edoces! Quo nos dira ac crudelis, in verendum Antistitem quem mortuum lugemus, hac vesperascente die caritas vertit! Ergo si tantus est dolor in rerum jactura, quantus amor in possessione, ululate oves Petri, dum ob oculos cernitis corpus exanime, quae in conspectu ejus gestiebatis dum viveret. Flete igi-

tur quos ad diu ministerium sacerdotes erudit et composuit; flete pauperes, quibus longa manu provide dedit annonam; vos etiam flete orphani et infantes imbelli, quod tam solliciti tutoris ac patroni praesidio orbatu estis; flete et vos, scientiarum avidi et bonarum artium studio incumbentes juvenes, qui persapientem amisistis magistrum. Flete.... sed quorsum ire instituo? Omnes quae fuistis Petri oves, si grato animo estis, ad Ecclesiam confluite; quae quoquo modo ab illo beneficii affectae fuistis, et praesidium illud quo jam spoliatae estis debito lacrimarum ac pietatis officio prosequimini, lacrimis inquam ac precibus ejus funus comitamini, qui dum viveret pro vobis, pro vestro commodo tantam curam sollicitudinemque suscepit.

Haud vero decet nimium indulgere dolori; filii etenim amantissimi alienum una mecum putandum statuetis, velle, dilectissimum patrem propter illum angere; incerto subjici, cum adsit coronari; fluctibus tempestate jactari, dum in littore ac portu licet esse securus. Consolamini, consolabor et ego: obiit parens optimus; excessit e nobis pastor, qui nos ad caulas Domini indesinenter perduxit; fulgidissima lampas, unde quaque vividissimos radios suae lucis diffundens, extincta est; nostrae Ecclesiae decus et ornamentum a morte sublatum lugemus; lituum sustentando manus inutiles gelidaeque jacent; qui "super custodiam suam stabat, et super munitio- nem gradum figebat" doctor et dux, verbi Dei con-

templator, auditor et praeco, e loco cecidit; excessit inquam e nobis; sed subter coeli inclita tecta requiescit, de sua securus, de gregis salute semper sollicitus: extincta lampas; sed sicut sol fulget in conspectu Dei: sua protectione semper amieti, non nudi, veste induti manemus: lituum in palmam commutavit, ad praemia invitans: in eminentiori loco etsi oculis impervio nobis adest: eo quod ad Altissimum gubernavit cor ipsius dum in terris agebat, in coelis coronari astitit; et dum in diebus suis corroboraverat custos pietatem, nunc versa vice illi obtigit innenarrabile Verbum facie ad faciem contemplari, et in sinu aeternae felicitatis a Supremopremio Numine quod unicuique reddit juxta opera sua, clementissime recipi.

Eccillam quo in praesentiarum sermonem collineari mihi lubet, quem insimul cum vobis tanto dolore percitum, tantum oportebat lacrimis indulgere ac colliquescere. Parcite ergo mihi si suggestum ascendo, etsi indignus evangelicus praeco: hoc non mea, sed gravissimorum virorum, qui a consiliis exstant gubernando hanc quae Petrum luget amplam archidiececim, statuit ac fecit voluntas. Quae vero, praestantissimi viri, de me vos fefellit opinio? Ab exiguo homine et tardo ingenii ad dicendum, nihil nisi exiguum et incomptum sermonem capiet spes. Quocirca dum verba vobis ad praeconium Petri facere intendo, cum magnorum gesta oporteat magnorum laude exornari et extol-

li, vereor ne decus Petri et ornamentum a me potius foedari et coinquinari, quam facili manu coronam justis ejus dignam intexere. Si quando ergo me dicente in Petro fuisse non adumbratam, sed absolutam quam de se Habacue verus pastor Israel descripsit imaginem, aliquid vel quamplurimum quod ad scopum dedeceat, cuique ineptum videatur inveneritis, neque argumento, neque velle sermocinantis, sed mentis quae in eo est tenuitati tribuere censeatis. Adsis Tu, qui omnia a fine usque ad finem sapienter attingis, et tuo propitio numine fac ut me explanante Illustrissimum Petrum, Te vocante et conferente, et Tibi respondentem et cooperantem, stetisse super custodiam suam, figentem gradum super munitionem contemplatum quidquid ei diceretur, et quid responderet ad arguentem se, horum quisque qui auscultant, vocanti Tibi respondeat, simul atque indesinenter satagat ut certam per bona opera vocationem faciat.

Anno septingentesimo nonagesimo tertio supra millesimum editus est in lucem praestantissimus vir, numeris omnibus absolutus Petrus Espinosa et Davalos in Tepic hujus dioecesis non ignobili loco. Qui et quales fuerint ejus parentes, dum ex fructibus quisquis, ipsa veritate ita docente, demetendus est, proculdubio agnoscendum virtute praeclaros fuisse, et omni memoria dignos, cum sobolem non tam sibimetipsis quam Christo et Ecclesiae